



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Via Veritatis Ad Vitam Sev Exercitia Spiritvalia

Haineuve, Julien

Antverpiae, 1652

Septimo Die. De patiendo, ad exemplum nobis à Christo, in Paßione,
exhibitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60125)

SEPTIMVS DIES.

De Patiendo, ad exemplum à
Christo nobis in Passione
exhibitum.

DECIMANONA VERITAS.

Malum internarum nostrarum tolerantia-
rum non tam esse à Patiendo, quàm à no-
lendo Pati.

*Tristis est anima mea vsque ad mor-
tem, sustinete hic, & vigilate
mecum. Matth. 26.*

MEDITATIO

in Decimamnonam veritatem.

I. PUNCTVM.

Declaratio eiusdem.

Q Vamquam Christus Dominus passus sit
per omnem vitam, quæ continua quæ-
dam Crux fuit, & vita quodammodo mo-
riens: nihilominus tam indigna sustinuit
tempore Passionis suæ, vt illud meritò possi-
mus tolerantiarũ tempus nuncupare: ita no-

O 3

bis

bis etiam, etsi nullum vitæ momentum sit, molestijs eximium, vt in continua pugna constitutis, quædam tamen sunt tempora, in quibus amplius, peculiariusque patiendum est, quemadmodum vidimus esse peculiare abstinendi, agendique, occasiones: Quare ab illa disponi debet animus, (a) proposito Christi patientis exemplo, de quo hodie meditabimur. At quia materia amplior est, quàm ferant reliqui temporis angustia, restringemus ad tria capita pœnas omnes, quæ nobis exemplo Christi sunt tolerandæ.

Primum caput est, pœnarum interiorum, quas ipsi nobis inferimus; alterum, exteriarum, quæ ab hominibus proueniunt; & Tertium earum publicarum, priuatarum ve. quæ Dei prouidentia & iustitia nobis immittit; hæc tria tolerandorum capita, referemus omnia mysteria Passionis, vt fructum tanto uberiorem colligamus.

Et sicut primum occurrens mysterium, est lucta illa, & pœna interior, quam, in hortu oliuarum, sibi Christus inferre voluit, ita deinde, per hanc meditationem, discere incipimus, quo pacto ferri debeant pœnæ similes, quarum ipsi causam damus. & præcipua, quæ nobis hinc capienda est, instructio, continetur in decimanona, nobis proposita Veritate.

(a) Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. 1. Petr. 2.

re: Malum, scilicet interiorum nostrarum tolerantiarum, non tam esse, quod patiamur, quam quod pati nolimus; cognito enim hoc vitio, longe erit expeditius, cum Gratia, & exemplo Christi, remedium adhibere. Consideremus ergo prius hoc exemplum & pœnas interiores, quas sustinere voluit, & deinde veritati nostræ propositionis facile assentiamur.

Exhibe tibi Christum cum tribus discipulis ingredientem in hortum oliuarum, vbi Passionis suæ iecit fundamenta, per dolores internos, quos idcirco agoniam nominamus, quod grauissimè illi fuerit cum ijs colluctandum; hos ad sex præcipuè species reuocamus.

Prima fuit Tristitia, (a) quando permisit suæ imaginum formatrici facultati, vt sibi dolores omnes, contumeliasque tolerandas exhiberet, & præcepit appetitui suo, vt earum exciperet vim, omnemque ab illis auersionem quantamcumque inferre sibi posset, sustineret. Grauis sanè fuit hæc animi ægritudo, & ad illum vitâ priuandum, idonea, vti testari voluit hisce verbis, *Tristis est anima mea, vsque ad mortem.*

Secunda fuit metus (b) quidam & pavor naturalis tantorum cruciatuum: qui menti talem affudit horrorem, vt iuxta partem, quam

O 4

vocat

(a) *Cæpit contristari & mæstus esse. Matth. 26.*

(b) *Et cæpit pauere, & tædere & factus in agonia prolixius orabat, Marc. 14. Luc. 22.*

vocant inferiorem & sentientem, optaret his cruciatibus liberari; sed quia eodem momento sibi obijciebat hanc esse Dei Patris voluntatem, & in passione sua & morte totius generis humani salutem contineri, Metus hic abiit in anxietatem, quid dolor est altero acerbior, quando quis inter duo æquè gravia mala constitutus, nescit cui se parti dedere debeat: & quia decernendum erat aliquid, & tandem pati decernebat, ut ad hoc decretum capiendum induceretur, subiit agoniam, hoc est, luctam, quâ horribilior nequit excogitari, oppugnando omnes naturæ propensiones, à subeunda morte, alienissimas, cogendoque ut in illam, etiam maximè repugnantes, ac horrentes consentirent. Atque hæc illi lucta sudorem sanguineum expressit, (a) tam erat violenta & vehemens.

Tercia poena interior, quam vel vna vel ante agoniam sensit, (b) fuit commiseratio singularis, quâ illum generis humani calamitates omnes, distinctissimè præ oculis positæ, affligebat. facile est huius acerbiteriam doloris æstimare, ex eo, quem B. Virgo ad pedem Crucis sustinuit, qui cum non fuerit, nisi commiserationis, tam acerbiter tamen extitit, ut martyrum nemo acerbiora passus censeatur;

(a) *Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22.*

(b) *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. Isa. 54.*

tur; commiseratio verò Christi ex intuitu miseriarum nostrarum concepta, tantò erat grauior matris commiseratione, quantò nos ille teneriùs complectebatur, quàm illa natum suum, & quantò maiorem ille in nobis miseriam animaduertebat, quàm videret illa in filio, etiam in cruce languenti, exspiranti-que; animaduertebat enim in nobis peccatum, quod omnium miseriarum miserrimum est.

Quarta erat notitia & dolor de iactura tot animarum, suo ipsarum vitio periturarum, tametsi tanta pateretur, & pretium sanguinis sui, pro illarum salute, consecraret. Acerbus sanè erat hic sensus, expendere tantos cruciatus in solutionem gratiarum tum collatarum, tum ijs conferendarum, qui illas nollent in suum vsum conuertere, & qui erant æquè perituri, atque si illorum causa nihil omnino sustinuisset; imò qui vel ob hoc ipsū, (a) grauioribus erant æternùm addicendi supplicijs, quòd passus esset, quodque gratias accepissent, quibus abuterentur.

Quinta erat pudor horribilis & confusio, videntis se oneratum omnibus hominum sceleribus, pro quibus vadem se præstiterat, & sibi attribuentis crimina omnia, quæ profligatissimi quique vel patrarant, vel erant patraturi.

O S

(a) *In ruinam multorum. Luc. 2.*(b) *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Is. 53.*

patraturi, quasi illa ipse commisisset, sub isto, deinde schemate presentantis se Patri aeterno, ad poenas excipiendas, imò jam diuinae iustitiae manum & poenas excipientis quasi reus ipse foret & peccator, qui peccatorum omnium personam sustinebat, & omnium nomine patiebatur. Hoc, inquam, in statu se intuens, tali pudore suffundebatur, qualem ipsimet peccatores merito experirentur, si tam clarè coram Deo, qui se grauiter offensum testaretur, sui criminis foeditatem haberent perspectam.

Sexta ex praecedenti consequens, fuit contritio de peccatis omnibus, in quorum satisfactionem poenas suas subibat, ut illa euaderet tantò integrior perfectiorque; quia verò contritio, si rectè obitur, dolor est omnium dolorum acerbissimus, dubitare non potes, quin ea, quam Christus elicuit, fuerit perfectissima, adeoque quin acerbissimus fuerit illius sensus.

Non nega animae tuae pios affectus, quos, haec consideranti, suggeret gratia; sed ne illis tantopere insiste, ut non studeas cognoscendae veritati in hac meditatione proposito, referendoque fructui, quem Christus intendit, qui idcirco has poenas sustinuit, ut nos doceret nostras sustinere. Profectò necesse est ingens fuisse Christo desiderium docendi nos tolerantiam, quandoquidem, ut illam nos doceret, tanta ipse voluerit tolerare.

Sed

Sed a
exen
mus
inter
ctu vi
nobis
bescin
stris
ction
ment
immo
bitus
sic inu
statu
rectè a
est, por
cùm re
obnox
dum a
illa rei
re vol
Ver
bellion
affigin
lio do
que, v
videatu
ad has
plecter
(a) Tim
runt n

Sed & valdè necessarium nobis erat eiusmodi exemplum, cum à nulla re magis abhorreamus, quàm à tolerantia, maximè poenarum interiorum, quæ, sicut ab animi vitio, & defectu virtutis procedere videntur, ita pudorem nobis aduertentibus incutiunt, easque erubescimus superioribus aut conscientia magistris aperire. (a) Et quod in his animi afflictionibus grauissimè torquere solet piamentes, est metus assentiendi motioni alicui immoderata; est dubitatio, consensûsne præbitus sit; est quædam caligo, quâ conscientia sic inuoluitur, vt discernere nequeat, sitne in statu gratiæ, an peccati; an quod actum est rectè actum sit, an secus; an quod agendum est, possit sine Dei offensione adimpleri. Quæ cum toleratu difficillima sint, experimur talè obnoxium voluntatis nostræ, vt quemadmodum asserit allata veritas non tam difficile sit illa re ipsa ferre, quàm vt ferre velit, disponere voluntatem.

Verum quidem est, illum obnixum & rebellionem voluntatis procreari ab illo, quo affigimur, malo; sed is obnixus, & hæc rebellio dolorem internum sic exaggerat augetque, vt omnis dolor in hoc obnixu consistere videatur, adeoque si induci posset voluntas ad has molestias promptè libenterque amplectendas, iam nullus in his existeret dolor.

O 6

vti

(a) *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebra.* Psal. 54.

vti videmus nullum aut exiguum esse in pœnis voluntarijs & sponte susceptis, quod idcirco ferre non est graue, quod ferre velimus. Si ergo vellemus has animi molestias, & ex necessitate faceremus, vt aiunt, virtutem, acceptando illas tam lubenter, atque si penes nos esset earum optio, mellis amplius, quàm fellis experiremur, gauderemusque cum Apostolo, (a) in passionibus nostris; placet enim quidquid libet & ea sola, (b) quæ non libent, molesta sunt.

Adde, & in alio quoque sensu, qui non minori consideratione dignus est, quàm prior, agnosce veritatem nostræ assertionis. Quando dicitur, malum tolerantiarum nostrarum, non tam esse in patiendo, quàm in nolendo pati: sensus est, quod ob defectum volitionis, pereat rerum tolerandarum meritum, cuius iactura malum sit grauius, quàm pati: indignamur, obmurmuramus, Deum offendimus, & reddimus nos obnoxios plurimis pœnis alijs, quas hæ culpæ procreant, quæ sine comparatione mala grauiora sunt & formidabiliora, quàm aliquam animi afflictionem sustinere: atque adeo veritas est, cui contradici nequeat, tantum malum non esse, pati, quantum pati nolle: nam, præterquam quod minus pateremur animo lubenti patientes, accedit præterea meritorum cumulus &

(a) Coloss. i. (b) Nihil est alicui pœna, nisi quod est contra voluntatē. Ansel. l. de Conc. Virg. c. 4.

solationum : vbi è contrario si pati nolimus, accumulatur sine vilo merito dolores, quin & cum periculo demerendi, subeundique pœnas debitas impatientiæ, ac perfidiæ voluntatis in Deum, dum Crucem excutit, insurgentis.

Hæc omnia luculenter exemplo Christi has, quas vidimus pœnas, subeuntis confirmantur : Cùm enim in remedium malorum nostrorum, voluerit ipse sua tolerare, neque tamen aliter adhibuerit ijs remedium, quam impartiendo nobis gratiam suam, quâ tolerare possemus, & relinquendo exemplum, quo ad id volendū^(a) induceremur: manifestè commonstravit minus malum esse tolerare, quàm nolle tolerare, quandoquidem remedium ab illo non tam fuit adhibitum, vt à malo pœnæ nos eximeret, quàm vt nos ad illud volendum excitaret. Itaque necessariò concludendum est, malum non in sustinendi molestia, sed in defectu voluntatis extitisse, quandoquidem huic applicet medicinam, & in hunc effectum nobis reliquerit exemplū suæ passionis, vt post perspiciemus.

O mi IESV, vtinam beneficij magnitudinem, quâ me tibi deuinxisti, satis possem estimare!

(a) *Recozitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes; nondum enim vsque ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repugnantes, Hebr., 12.*

mare! Fateor me tibi magis obstrictum ratione præbiti exempli, quo me, vt pati velim, excitasti, quam si me penitus ab omni re patienda liberasses; Majus enim bonum est, pati velle, quàm non pati. Sed heu? quàm parum agnoui hoc tantum bonum, quandoquidem me toties opposuerim tuæ gratiæ, measque afflictiones non nisi grauatè, inuitoque animo sustinuerim! Da, obsecro, vt agnoscam, quàm fecerim hoc immeritò, & sic me pœniteat præteritarum culparum, vt reddar tantò magis, capiendis alijs in futurum consilijs, idoneus.

II. P V N C T V M.

Aduersio in vitam præteritam, & statum præsentem.

TRia hîc tibi obseruanda sunt circa vitam præteritam, & affectionem naturæ tuæ, in futurum.

Primò, quænam sunt internæ illæ molestiæ, quibus potissimum diuexaris? quales tibi videntur?

Secundò, quo genere contradictionis illis repugnas? an merè naturalis est, & ex motu primo, vt aiunt, an verò voluntaria & deliberata? in quæ vitia hinc deduci soles? nõne nimium indulges tristitiæ? nõne despondes animo? non abis in modicas quasdam desperationes,

rationes, in querimonias, in obrectatiūculas diuini numinis, & in eas miserias, quò contradictio voluntatis pati abnuentis, præcipitare solet animam, quæ ei non resistit? Dese has omnes miserias, & erubescere.

Tertiò, quæ interim dum affligerere, bona præstare poteras, quæ neglexisti? quæ plerumque inquiris hisce occurrentibus animi molestijs remedia? nõne te ipse destituis, remedio nullo quæsiro? fors humana sunt solatiola, quæ sectaris? resistisne primis tentationum motibus? an confugis ad precum subsidia? meministine tum IESV Christi? magnane es in illum fiduciã? illius opem imploras? quidnam agis?

O quam verendum est, ne nihil agas aliud, quàm quòd voluas animo tuum malum; cogites te esse mortalium omnium miserimum; inquiras absque fructu, quo te modo istis miserijs expedias; te magis perturbes, malumque malo cumules, & tantam gratiarum, spiritualiumque donorum facias jacturam, quantum facere posses incrementum, si alijs cogitationibus animum applicares. Pœniteat te rursus horum omnium vitiorum, & vni contritionem tuam cum dolore IESV Christi, vt tantò fit ad obtinendam veniam & medicinam efficacior.

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

CVM totum malum in eo consistat, quod internas molestias ferre nolimus, omne quoque remedium, & propositum nostrum in eo constituendum est, (a) vt cum diuina gratia, & intuitu huius exempli Christi seruatoris, excitemus voluntatem nostram ad eas imposteras acceptandas, approbandasque, quemadmodum suas Christus acceptauit, approbauitque. Verum equidem est, abhoruisse illum à subeundis ijs contumelijs & supplicijs Passionis suæ, & hunc horrorem procreasse magnam earum partem pœnarum, quas mox considerasti; nihilominus hoc horrore & contradictione, quæ non erant nisi in appetitu, & parte sentienti, procul habitis, semper iuxta voluntatem diuinam & humanam pati volebat, quin & ipsum illum horrorem & obnixum appetitûs volebat, vt te doceret, non existere malum culpæ (quod malum est grauissimum, & maximè formidandum) in illo naturæ sensu, quamdiu illi voluntas ope diuinæ gratiæ, & suæ, quâ pollet liberta-

(a) *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Heb. 12.*

libertatis, resistit, & modò pati velis nobiliori
tui parte, quam vocant superiorem, etsi nolit
inferior, atque à patièdo abhorreat.

O quam potens est hoc, si rectè expendi-
tur, exemplum! nam radicem ipsam petit &
causam mali, vt remedium illi adhibeat; clarè
demonstrat has interiores pœnas omni culpa
& probro vacare, contra quam imponit na-
tura, nos hoc nomine plurimum diuexans?
quandoquidem Iesus ipsa nimirum sanctitas
hanc internam contradictionem & obnixum
sustinuerit; quandoquidem non erubuerit il-
lam suis Apostolis manifestare, volueritque vt
toti mundo innotesceret.

Si timeretur, ne hæc pugna interior inducat
ad consentiendum peccato, factum benè,
modo (a) metus moderatus sit & rationi
consentaneus. Nunquam illi consenties, nisi
volueris, tantum resiste morui immoderato; &
vel ob hoc ipsum amanda tolerantia est, ne
in impatientias, in querimonias, aliaq; pecca-
ta prolabaris. Plus ipse tibi infers mali, affli-
gendo te immoderatè ob malum tuum, quam
malum istud inferre tibi posset, si pacato vel-
les animo sustinere: quin potius erit causa
plurium virtutum, quas in hac patientia,
& conformatione tuæ, cum diuina, volunta-
tis poteris exercere. Volis, nolis, patiendum
est; nonne ergo præstat, volentem pati, cum
minus

(a) Sustine sustentationes Dei, coniungere Deo &
sustine. Eccl. 2. vide Iacobi 1.

minus patiamur, & acquiramus plus merito-
rum, insequendo Christi vestigijs, & illius ex-
emplo, nos ad Dei Patris arbitrium totos ac-
commodando?

Quod si dicas optare quidem hanc accom-
modationem voluntatis tuæ cum diuino ar-
bitrio, sed assequi non posse, propter internam
illam pugnam & rebellionem: falleris, si hinc
existimas te illam non affecutum, quod nullo
eius sensu tangaris, imò sensus experiaris
contrarios, dummodo enim sensus illi con-
trarij solùm existant in parte sentiente, non
autem in parte compote rationis, vbi propria
virtutis & vitij meriti & demeriti sedes est,
nihil curare oportet, & eadem ratione ferenda
est hæc naturæ rebellio, quam ab incumben-
tibus molestijs experimur, quæ ferimus ipsas
molestias, & motus alios, qui non sunt in no-
stra potestate.

Si petis indicium, quo agnoscas vtrum hæc
contradictio sit solùm in parte sentiente, an
verò etiam in rationali: Memineris quod sæ-
pe assequi meditando potuisti, nullum esse
certius quàm vt videas, an ob contradictio-
nem hanc, nihil deliberatè omittas eorum,
quæ officij tui ratio tum temporis à te requi-
rit, aut reipsa labaris in vitium aliquod, quod
posses, si liberet evitare? vt exempli gratiâ, si
ratione huius contradictionis, obmurmuras,
si te perturbas & affligis, signum est, esse volũ-
tariam, quandoquidem te impellat ad actio-
nes,

nes, quæ tibi deliberatæ sunt, quasque par
esset, omitti: si verò loco illarum querimonia-
rum te recipis ad orationem, dicisque cum
Iesu tuo, (a) *Pater non mea voluntas, sed tua fiat,*
& reapse nihil aduersum agas ipsius volunta-
ti, indicium est, hunc sensum contrarium esse
merè naturalem, neque impedire, quo minus
eodem tempore, pati paratus sis, velisque.
Cum enim dicitur, malum nostrarum tole-
rantiarum non tam esse, quòd patiamur,
quàm quòd nolimus pati, sensus est de volun-
tate superiori & compote rationis, in qua sita
est nostri libertas arbitrij, non de inferiori &
solùm sentiente, quæ à nobis non pendet:
vnde sequitur, etiam remedium, quod huc ad-
uersus illas naturæ, à patiendo alienæ, con-
tradictiones offertur, intelligi debere de vo-
luntate superiori, quâ in occurrentes tole-
rantias consentiente, attendi non debet
ad morus alios, qui eodem tempore
huic voluntati contrarij persentiscuntur.

Hac ergo super re effinge proposita tua:
non teterreant terrores tui; ne mouearis
motibus tuis inordinatis; ne te perturbet tuæ
perturbationes, ne tristitiæ tuæ te contristent,
denique ne de malis tuis, tibi malum confice:
solùm memineris tui Iesu, qui has naturæ
contradictiones sentire voluit, vt te doceret
tuas sustinere; quodque si habeas appeti-
tum & voluntatem sentientem, à qua mo-
uearis,

(a) Luc, 22.

uearis, contristeris, perturberis, malumque tibi pocreetur, etiam polleas alia rationali, potentiori que cum diuina gratia, cuius ope non inhaereas immoderate tuis tristitijs, non perturberis teque eximas à malo, quin potius gaudeas, referasque fructum longè vberiore, quàm si fores miseriarum expers.

Nostrum igitur est, anime mi, vt generose statuamus, cum diuina gratia quiduis exemplo Iesu patientis lubenter sustinere; neque in excusationem adducamus, Deum illum fuisse, nos verò fragiles esse homines, nam etsi Deus esset, nihilominus quàm homo patiebatur: assumpsit imbecillitatem nostram, vt sua nos fortitudine roboraret; poenas extimuit, vt animos nobis adderet, doceretque in poenis & timoribus, non peturbari.

COMPENDIUM MEDITATIONIS in decimam nonam veritatem.

I. PUNCTUM.

Declaratio eiusdem.

Quamquam vix aliquid temporis nobis suppetat in hac vita, quo non quidpiam patiamur, quaedam tamen tempora sunt, in quibus plura sustinemus, vt sunt occasiones non nullae, agendo abstinendoque ac-

com-

commodatiores. Et verò videmus etiam Christum Dominum omni vita patiendi argumentis exercitatum, grauiora tamen perulisse tempore Passionis suæ, vbi præsertim nobis exhibuit exemplum patiendi, ad quod disceremus nos nostraque componere. Et quia pœnæ nostræ sunt vel internæ à nobis prouenientes, aut externæ, illatæ ab hominibus, aut vtræque, quæ ab ipso Deo submituntur: referemus veritates & meditationes hoc die peragendas ad tria hæc capita: & initium cum Christo facientes ab interioribus, subeamus in hortum oliuarum, videamusque quid illic patiatur: vt tanto luculentior euadat proposita nobis veritas.

Dolores omnes illius interni sex generibus continentur, quorum prima est tristitia, quando obiecit imaginationi suæ, quidquid afflictere poterat, & doloris tædijque vehementia vitam elidere.

Secundum est agonia seu lucta, quando post metum tormentorum, & anxietatem mentis hinc supplicia detrectantis, inde appetentis, tandem se dedit ea vi & aduersus naturæ procliuatatem, contentione, vt sudore sanguineo manârit.

Tertium, commiseratio è generis humani calamitatibus concepta, tam vehemens, vt pati maluerit ad asserendos homines, quam eos in suis miserijs intueri.

Quartum, dolor de iactura tot animarum,
nihil

nihil profutura passione sua, damnandarum.

Quintum, verecundia, dum videret se sceleribus nostris oneratum, pro quibus se vadem præstiterat, & quorum subibat pœnas.

Sextum; contritio, & pœnitentia de ijs concepta, vt plenissimè faceret satis. His saliquan o tempore, quamdiu nimirum affectus te detinebit, consideratis, agnosces ante omnia, vehemēs fuisse in Christo patientiam nos docendi desiderium, quando quidem ijs se pœnis subiecerit, quæ non solum erant acerbissimæ, verum etiam videri poterant ab ipsius personæ dignitate, alienissimæ. Erat verò etiam necessarium tale exemplum, quo accenderemur ad acceptandas promptiore animo pœnas, præsertim interiores quæ à nobis ipsis procedunt, ideoque tam probrosæ nobis videntur, vt inducere vix possimus animum, quò velit illas sustinere; cum tamen, vti fert proposita veritas, malum illarum, non tam insustinando situm sit, quam quò eas sustinere nolimus, quod triplici sensu verum est.

Primò, si æquo animo acceptaremus molestias quæ euitare non possumus, grauius sanè non affligerent nos, quam pœnæ sponte vel afflicti corporis causa, velex nutu superiorum, voluntariè susceptæ; quandoquidem, si planè loqui volumus, solus obnoxius voluntatis in pœna, pœnam molestiamque progeneret.

Secun

Secundò, dici potest malum toleran-
 tiarum nostrarum consistere in nolendo illas,
 quod hæc interior rebellio impediatur meritum
 patientiæ, quod malum profectò est ipsâ to-
 lerantiâ grauius: nam vti felicitatis est, mereri
 posse patiendo, ita quoque summum miseria-
 rum est, tam pati ineptè, vt nihil aliud patien-
 do promerearis quam patiendorum cumu-
 lum.

Sed Tertio, quod manifestè exponit nostri
 effati veritatem, est Christi exemplum, qui
 cum idcirco suas illas animi molestias tulerit,
 vt nostris malis faceret medicinam, non
 fecerit autem pacto alio, quam nobis relin-
 quendo gratiam suam, & exemplum, quibus
 possemus, & vellemus pati: clarissimè demon-
 strauit, tantum non esse malum pati, quan-
 tum pati nolle, cum remedium quod nobis
 obtulit, non tam sit, vt malo nos eximeret
 quam vt excitaret nos ad illud volendum,
 quando eius tolerandi nobis incumberet ne-
 cessitas.

O mi Iesu, quantum tibi obstrictus sum
 ratione huius lectionis, quam mihi imprime-
 re patiendi voluisti! maius sanè beneficium
 est, quam si me omnibus animi molestijs red-
 didisses eximium; maius enim est, eas pati
 velle, quam iisdem eximi, vt grauius est
 malum, eas pati nolle, quam re ipsa susti-
 nere.

II. PUNCTVM.

*Aduersio in vitam præteritam,
præsentemque.*

COgita imprimis quænam sint molestiæ internæ tibi familiariores. Secundò, quam sentias contradictionem, eâne voluntaria sit, an præter voluntatem, & quæ hanc vitia consequantur. Denique qualia sint bona quæ peragi à te possent, & à te negliguntur in hisce molestijs & contradictionibus, ita vt ne remedio quidem vti velis eoque facillimo, quale esset si mentem aduerteres ad Iesum tuum, cuius sola cogitatio rectè suscepta potuisset tibi in omnibus istis certaminibus animos addere, vt non nisi victor & cum laurea inde recessisses. Verùm maluisti turpiter cedere mœrori, quàm cum Iesu pugnare glorioseque vincere. O vilem ignaumque animum qui idcirco tantùm vincitur, quod modicam pugnam detrectet! Erubescce hanc ignauiam.

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

ERit vt præ oculis habeas hoc seruatoris exemplum, vnde discas internos crucia-

tus

tus non solum æquo animo, verum etiam
 iubenti volentiq̄e acceptare. Nihil est, quod
 inde erubescas, cum videas Jesum istos metus,
 anxietates, dolores, istamq̄e partis sentientis
 cum rationali pugnam pati voluisse. In hac
 pugna & contradictione malum non est, sed
 in ignavia obfirmandi animum: & hæc igna-
 uia aliunde non provenit, quam quod non
 decernas agere ea ratione & gratia, quidquid
 potes, neque ferre patienter, quidquid decli-
 nare non potes. Nam etsi tu ipse te afflictes,
 & nonnunquam possis ope gratiæ, te ab hac
 afflictione liberare, id tamen tibi semper non
 est integrum, & tum sustinere te ipsum debes,
 nolendo plus, quam possis congruenter ratio-
 ni, imò nolendo ne quidem plus posse, quan-
 do quidem id nolit Deus & cum Iesu dicen-
 do: *Fiat tua voluntas, ô Pater, non mea*: Tumq̄e
 frueris ingenti hoc commodo, quod minus
 patiere sine vlllo dispendio meritorum, quin
 & sæpe cum eorundem etiam accessione,
 tantò cumulationi, quantò libentiùs pati vo-
 les quantoq̄e minus, patieris.

Quod si eam patiendi voluntatem non ex-
 periris, quin potiùs sentias aliquem obnixum
 & quandam quasi voluntatem his sufferendis
 molestijs contrarium, ne moueare; modò ni-
 hil ratione huius contradictionis agas immo-
 deratè: procedit illa ab appetitu solum sen-
 tiente, qui extra potestatem tuam est, non
 autem à voluntate rationis compote, quæ tui
 est

est iuris: idque patet ex eo: quod omnes actus
tui liberi potius ratione consentiant quam
appetitui; nam si dissentirent, erumperetque
aliqua querimonia & impatientis animi nota
esset ea contradictio voluntatis, quandoqui-
dem se proderet in ijs motibus, qui illi sunt
liberi. O calamitatem, quod eam nobis possi-
mus accersere mala! imò verò o felicitatem,
quod ijs malis plurimum nobis boni accerse-
re possimus, modò lubeat amovere poenas
inutiles, quas eorum causam nobis ultro inferi-
mus, & animo lubenti illa sustinere, quorum
nullum aliud est, quam in ferendo, reme-
dium.



VIGESIMA VERITAS.

Qui paratus non est pati, à quouis hominum genere, quoduis genus molestiarum, eum non esse paratum pati.

Hac est hora vestra, & potestas tenebrarum. Luc. 22.

Pilatus Iesum tradidit voluntati eorum. Ibid. 23.

M E D I T A T I O

in hanc vicesimam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio veritatis.

HÆc Meditatio pœnarum exteriorum Seruatoris nostri, hac conditione potior est antecedenti, quæ erat de pœnis interioribus, quòd exteriores magis cadant sub sensû, adeoque aptiores vt cum affectu sensuque pietatis expendantur : Sed istud incommodum hîc est, quòd tanto sint numero, vt nisi præsens argumentum certis quibusdam circumstantis definiamus, terminemusque, periculum sit, ne multitudine confundatur mens, & hæc confusio lucem veritatis nostræ obfuscet, exsiccetq; affectus. Quare cõmodum videtur, nisi alio terapiat animi religio vt omnia

P 2

Passionis

VIGE.

Passionis mysteria referas ad duas hasce considerationes, quæ desumuntur à varietate personarum Christum affligentium & à poenis, quas illorum operâ patitur: Hac enumeratione manifestior euadet proposita veritas. Quod, qui pati paratus non est, à quouis hominum genere, quodvis genus molestiarum, ille reuera paratus non sit pati.

Quod igitur ad primam circumstantiam varietatis personarum attinet, cōsidera, quem admodum, priusquam venisset hora Passionis destinata, (a) nemo vnus seruatorum contingere ausus est, ita cū illa adfuit, & rebus creatis facta potestas est, vt cruciando conditori suo essent instrumenta atque administrum nullum quodammodo genus hominum defuisse, cui non licuerit cumulandis eius tormentis aliquam præstare operam.

In capitali animaduersione non nisi vni alterive ministro permissum est, vt reo inferant manus; at in Christi passione, cuius pro libitu & arbitrio cruciari illum potest. Duxne sit an miles, Iudæus an gentilis, sacerdos an profanus, discipulus an extraneus, vir an foemina, diues an pauper, magno nato an paruo nil refert: omnibus patet aditus: diceres publica denuntiatione citatos ex omni Iudæa vniuersos in illius perniciem, quemadmodum olim vates regius prædixerat (b) & Christus ipse testatus est cohorti illi ex

(a) Ioan. 7. (b) Psal. 82.

omni hominum sorte conflatae, quae ad comprehendendum illum conuenerat : *Hæc est, inquit, hora vestra & potestas tenebrarum*, quasi dixisset: *Hæc est hora, quâ permissum est terris & inferis, hominibus & dæmonibus confluendi, coniurandi que in perniciem & mortem meam,*

Non erat pluribus verbis opus, vt omnia innuerentur: nam si rectè semel concipimus fatanae indulgentiam eam facultatem, vt armaret se dæmonibus omnibus, & quorquor, ad excrucendam rabiem suam & crudelitatem, aptos iudicabat, hominibus facile assequemur, neminem ab illo, tanto malorum artifice, esse prætermisum. Nam quo plures adhibebat, eò maiore fruebatur solatio, quod & grauius Iesus afflicteretur, & ij, quorum opera torquendo innocenti utebatur, æternæ damnationis rei euaderent. Et si integrum illi fuit adhibere ludam, aliosque discipulos in pœnam Christi & opprobrium, quo non iure cæteris, ad hoc institutum suum, vsus est hominibus? O Deus, non satis erat, vt pro hominibus patere nisi etiam ab illis ipsis sustineres, quorû causa paterebare! Anime mi, quando Iesus tuus patitur tui causa, non atredidit à quo patiatur.

Quod spectat ad varietatem, multitudinẽ & modum, pœnarum, quas sustinuit cogita sustinuisse illum vniuersa, quæ dolorem & tormentum honesto viro inferre possunt, sustinuit in bonis fortunæ nudatus omnibus

nibus vti illum ad columnam & in Cruce contueris; sustinuit in honore, exceptus omni genere opprobriorum atque contumeliarum, quas dæmon aduersus ipsius innocentiam, sapientiam, sanctitatem potentiam, omnesque ipsius actiones potuit excogitare; sustinuit in corpore, vbi nulla pars aut articulus fuit à peculiari cruciatu immunis, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas, sed vulnus, & liuor, & plaga tumens. (a) Intuere illum in horto, dum velut agnellus inuaditur à lupis illis sanguinarijs: in domo Caiphæ, vbi alapâ, modisque alijs indignissimè tractatur: in prætorio Pilati vbi tanquam seditiosus accusatur, componiturque cum homine reorum omnium probrosissimo; in aula Herodis, vbi velut amenti illuditur; ad columnam, vbi exuitur ipsa pelle sua, nulla relicta ei specie neque colore, nisi quem defluens sanguis affundebat, vt merito leprosus videri posset is (b) qui formæ cæteroquin mortales omnes antecedebat.

Sed vllümne vnquam fuit spectaculum illo tristius acerbiusque, quâdo prodire iussus est scenicus Rex, nullo alio apparatu regio, quàm corona è spinis contexta, frustillo male facti pallij, & arundine sceptri vices obeunte? & quando deinde gestat humeris Crucem suam, illi clavis affigitur, & in illa languet siti pariter & amore, quid aliud istud est, quàm

(a) *Isa. I.* (b) *Isa. 53.*

quàm epitome, seu potiùs cumulus & congeries cruciatuum omnium, quos ille patitur, qui eo nomine *vir dolorum* dictus est, quasi in illum omnes confluxissent?

O Deus! fieri ne potest vt cor habeam motionis capax, & considerato hoc tanto amoris & commiserationis argumento non tamen permoueatur? Verùm animè mi, quid putas esse, permoueri ad aspectum tui Iesu? Motiones cordis omnes, meræ ludificationes sunt, nisi agnoscas id tibi incumbere, vt eius exemplo patiaris, atque ad hoc promptus sis paratusque, non eris autem, nisi probe intellexeris hanc veritatem, vt eam opere ipso exequaris: quòd quisquis paratus non est ad quiduis à quouis patiendum nondum ad patiendum paratus sit.

Ratio est, quandoquidem pati nos oporteat ad exemplum à Christo nobis propositum, & ille passus sit à quouis hominum genere, quoduis pœnarum genus, nullo penitus repudiato: quomodo patiemur ad illius exemplum, nisi, vt ille, quiduis à quocumque patiamur? Quid causæ illum virgebat, vt tam vniuersim subijceret se tolerandis omnibus sine vlla exceptione, quod non æquiori iure nos obstringit vt nihil tolerandorum excludamus? fortasse, quod pro nobis tolerabat? at nunquid æquè rationi consentaneum est, vt tam nos nostri causa toleremus, quàm vt ille? Forfitan, quod eo pacto se subditum

reddebat Deo Patri? at nonne pari iure decet nos illi esse subiectos? fortè, quod amorem in nos suum ita volebat testificari? At, nonne etiam aliquam nostri, erga illum, amoris significationem testari volumus? Denique tametsi nulla esset ex parte Iudæorum ratio, cur tantis Iesum supplicijs afficerent. Iesus tamen sine aliqua ratione non patiebatur, nam ratio potius & argumentum patiendi reddit (a) perpeffiones dignas meritoque quam malum ipsum quod quis perpetitur. Sed quæcunque ratio illum permouerit ad quæuis mala, à quocumque genere hominum sufferenda, eadem quoque nos sic obligat ad illius patientis imitationem, vt nisi ita comparati simus, nulla ratione dici queamus ad patiendum (b) dispositi. Vel enim sine ratione & argumento patimur, vel ex ratione, probisque argumentis: si absque aliquo argumento, sanè patientia nostra, omnis est expers meriti, neque illam Deus habet acceptam, cum non fiat illius intuitu, neque ob vllam rationem illi gratam acceptam ve. Si verò illius causa vel simili aliquo honesto argumento ad patiendum inducimur, eadem illa causa atq; argumentum nos obligat ad ferendos casus omnes à quocumq; & vndecumq; proueniētis vbi facto in-

(a) Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. 1. Petr. 4.

(b) Fili, si ploras, piè plora, noli cum indignatione, noli cura typo superbia, August.

ter p
nihil
Na
tiam
quo
ti si
nere
quic
quis
peric
præ
ex
virtu
Dei
intue
gat a
bus,
alijs,
tia, se
renti
de pa
fitam
grate
cogn
error
uerfa
vlu co

(a) V

ter personas, aut res ferendas^(a) discrimine, nihil omninò patimur, quod illi sit acceptum. Nam si illi placendi studio à quibusdam patiamur, quidni etiam ab alijs, cum id illi quoque placeat, eiusque sit voluntas, ut parati simus quiduis à quouis personarum genere sine vilo discrimine tolerare? simile quiddam est in materia obedientiæ. Quisquis paratus non est, obedire cuicumque superiori, & in re quacumque rationabiliter præcepta, non est paratus obedire in re vlla ex stimulo virtutis obedientiæ hæc enim virtus inclinât verum obedientem, ut ex Dei reuerentia, quem in superioribus suis intuetur, obtemperet; & hic stimulus ita obligat ad obtemperandum omnibus & in omnibus, ut si quibusdam obtemperetur, & non alijs, iam non obtemperetur ex Dei reuerentia, sed ex alio aliquo amoris proprii, vel reuerentiæ humanæ stimulo. Idem fer iudicium de patientia; & exploratam habeas propositam veritatem, de hac illustratione animi grates Deo habe, pete deinde lumen quo cognoscas vitia hæcenus à te commissa, vel errores, qui in intellectu tuo huic veritati aduersantur, ut tanto solidius aliquid de eius vlu constituas.

P 5

II. PVN-

(a) Vide l. 3. de Imitat. c. 19.

II. PUNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.

Vitia contra hanc veritatem admissa procedere possunt vel ab errore vel à malitia, vel ab inclinatione naturali aut priuata cuiusque indole. Vitia ab errore vel ignorantia orta, non sunt illa quidem grauissima, sed tamen perniciofa, nisi quis errore se exsoluat, nam inhærent continuò, paulatimque abeunt in malitiam affectatam, quâ vel vitijs nostris ignorantiam prætexamus, aut nolimus instrui, aut dociles nos præbere, oblati instructionibus. Verùm ediffere, putastine tibi ferenda fuisse, quæ vel ab æqualibus vel inferioribus inferebantur? aut debuisset sustinere etiam immerentem, aut ea quæ grauissimum tibi doloris sensum infligebant? errorem igitur, vitiumque tuum agnosce.

Peccata malitiæ in hoc argumento, censentur omnes inobedienciæ, occultæ apertæve rebelliones aduersus legitimè præpositos, oblocutiones, ægri tudines animi, & alij immoderati affectus, quos fouimus oblata ferendorum aduersorum, & à genio nostro alienorum, occasione; & si quidem propositum nobis fuisset nihilne pati vellemus in hac
vita,

vita, non ausi fuisset omni patiendi occasione recusare, (a) dixisset tamen liberè, nos quiduis aliud fuisse passuros præter id vnum, quod sese offerebat. O malitiam humani cordis sibi nimium blandientis, & cogitantis sua Deum latere consilia! Calliditas ea est naturæ corruptæ pari detrectantis, & quia mens sæpius edocta necessitatè, utilitatemque patiendi non audet plenè refellere obligationem illam, quâ videt se ad res ferendas obstrictam solummodo detrectat obuias, sibi interim persuadens, quòd æquo animo alias acceptaret, atque ita malitiosè se oblaris patiendi occasionibus suffuratur. Deplora hanc malitiam.

Denique vitia, quæ procedunt ab inclinatione naturæ, aut indole quadam priuata, sunt molestiæ quædam animi prouenientes à personis, quibuscum nobis minor, quàm cum alijs morum consensus est, aut in casibus aliquibus, quos à natura horremus, aut certis quibusdam temporibus, cum sumus morosiores. Nunquam istud tibi accidit? quo te modo tum gessisti? qua ratione frenare conatus es hanc peruersam tuæ naturæ indolem? quod tibi nunc, futurisque temporibus imminet periculū, tam ratione personarum, quàm casuum, à quibus abhorres, & perturbaris? Aduerte his seriò animum, ne quidpiam resideat in animo, quo impediaris cum

P 6

Davi-

(a) *V. de Imit. Chr. l. 3. c. 19.*

Dauidè bis exclamare, *paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*: (a) *paratum* pati à quouis genere personarum; *paratum* pati quoduis malorum genus.

(a) *Psal. 56.*

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

VT tantò solidiùs obfirmes propositum tuum ad excipiendos quosuis casus occurrentes, adhibe hanc triplicem præparationem mentis, quæ te per tres animæ facultates vniet perpeffionibus tui seruatoris. Prima est intellectus, vt sine vlla hæfitatione credas, te, quo vinculo obstrictus es sustinere aliquid in hac vita, (a) ex Dei amore & reuerentia, & ad promouendam animæ tuæ salutem, eodem quoque; oblikeris pati vniuersim à quibusuis hominibus, quoduis genus aduersorum. Sic est, mi Deus, credo, & vt etiam huius veritatis fidẽ in me adaugeas, obtestor.

Altera dispositio voluntatis est, vt semper paratus sis ad omnia, & re ipsa acceptes, quidquid occurrerit, non attendendo, vnde accidat

(a) *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine: & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humilia-
u. &c. Eccl. 2.*

accidat, neque quid sit, nisi quod sit crux aliqua, & molestia ferenda, tantò excipienda gratius, quantò magis expectabatur. Et excusationes omnes & consilia, quæ in contrarium effingi tum possent à naturæ prava propensione, non aliter audiantur, neque profundius admittantur in animum, quam si sensus forent à Christianæ fidei legibus alieni: Nam reuera, vti paulò ante vidimus, verendum est, ne, qui oblatam patiendi occasionem non vult amplecti, vnquam pati velit: quin vt prauam illam voluntatem tueatur, tandem sibi persuadebit, non esse necessarium pati in hac vita. Quod adeò falsum est & à fide abhorrens, quã verè Paulus affirmat, (a) *Patientiam nobis esse necessariam vt voluntatem DEI faciamus; & omnes, qui piè volunt viuere, persecutionem passuros: & per multas tribulationes oportere nos intrare in regnum DEI. Nonne istud modò credis? nunquid vis?*

Age igitur, pro tertia præparatione animi, quam confirmando proposito oportet adhibere, sit memoria & recordatio huius fidei & bonæ voluntatis, quas modò experiris, vt oblata deinde occasione constantem te, & firmum geras. Notitia illa sensus & affectus plena, quam modò de hac veritate concepisti, poterit aliquando euanescere, imò contraria quædam opinio poterit efficere, ne illi credas, aut illi conformes mores tuos: sed præsta, memor

(a) *Hebr. 10. 2. Timot. 3. 14.*

memor, veritatem semper persistere; & si nunc verum est, patiendum esse, etiam fore verum, dum patiendi se offeret occasio; & si seria est tibi patiendi voluntas, illam in occasionibus esse demonstrandam. Nunc enim non concipis hanc voluntatem, nisi ut suo tempore illam opere ipso exequaris, & cum patiendi tempus adfuerit, tunc cogita tempus esse, exequendi opere ipso voluntatem tuam, aliàs erit voluntas cassà, & executionis effectusque expers, quæ nullo apud Deum loco est, qui proposita nostra vult executioni mandari.

Ecce appropinquavit hora; surgite, eamus; ecce appropinquat qui me tradet, (a) aiebat Servator noster occurrens satellitibus ad eum comprehendendum submissis, ut illico mandaret executioni, quod aliàs faciendum esse constituerat; ita, postea quam Apostolos suos impendentium persecutionum commonefecisset: *Hæc, inquit, locutus sum vobis, ut cum venerit hora, illas nimirum patiendi, (b) reminiscamini eorum, quia ego dixi vobis, & promptæ illius, quam nunc testamini, voluntatis.* Anime mihi nisi meminerimus propositorum nostrorum, ut ea opere ipso exequamur, Deus illorum non erit immemor, & acerbissima exprobratione nobis aliquando obijciet, multa nos quidem polliceri, sed promissis non stare, ideoque nec futuros nos participes promisso.

(a) Matth. 26. (b) Ioan. 16.

missorum ab illo factorum, (a) quæ solo patientiæ subsidio, vt ait Apostolus, reportantur.

(a) *Hebr.* 10.

COMPENDIUM MEDITATIONIS in Vigefimam veritatem.

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

VT clariùs perspiciamus hanc veritatem, considerabimus imprimis, quo pacto Iesus passus sit à quouis genere hominum, quoduis genus poenarum, quibus illum afflictum voluere.

Quod ad homines attinet, solùm recolere oportet animo illa Christi verba : *hec est hora vestra & potestas tenebrarum* : Nam si satanæ data fuit potestas vtendi dæmonibus, hominibusque ad Christum torquendum, facilè intelligemus nihil neglectum esse ab illo, tam ad amplificandos Christi cruciatus, quàm ad scelere obligandas tantò plures animas, quantò frequentiores homines conferrent operum in horrendum illud flagitium, in mortem filij Dei. Et sanè, si eousque processit satanæ potestas, vt armarit in Magistrum discipulos, hunc vt illum hostibus proderet, alterù, vt abnegaret, quid non valuerit in ceteros

ros

ros Iudæos, & gentiles, quibus, vt antea inimicis nihil prouius esse poterat, quam vt vnanimi consensu in pœnas & supplicia irararent Seruatoris? Legum aliàs in capitali animaduersione seruandarum & vsitatarum, nulla hîc habetur ratio, vnica lex est, vt cuiuis permiffum fit, impunè in illum grassari. Vide vt cateruarii confluant omnes, atque in illum insurgant: quin eo instituto videtur Passioni delecta Ierosolyma, & tempus Passchæ, vt plures vndique confluentes uenerent in partem huius peragendæ Tragœdiæ.

Sed quid cruciatuum, quid pœnarum inferunt? quidquid lubet, traditus est enim eorum voluntati, neque damnationis sententia definit alio modo pœnas, quam quod fit in illorum arbitrio, seu potiùs crudelitate; tantas illi inferant quantas furor & libido dictabit. Et reuera, quodnam pœnæ genus est, quod ille non patitur? in bonis, in honore, in amicis, in corpore, in capite, in oculis, in auribus, in ore, in brachijs, in manibus, in pedibus, in omnibus denique membris, tam indigna, contumeliosaque, vt foret difficile creditu homines sic omnem humanitatem exuisse, nisi dæmon illos velut instrumenta atque administratos suos vsurpasset.

His animo benè comprehensis, facilè assequemur, verum esse, quod quisquis paratus non est pati quoduis molestiarum genus, à quocunq; genere personarum, nō sit omnino

ad

ad patiendum dispositus. nam si, ad Christi exemplum patiendum est, nonne eodem ritu pati oportet, quo ipse? aut si quapiam est persona vel genus aliquod molestæ, quod pati detrectamus, quomodo patimur ad illius exemplum? & fuerit illi sanè ratio, tam vniuersim tolerandi omnia, quæ offerebantur, an non eadem æquè nos, atque illum obligat? toleramúsne sine, an cum ratione? si sine etiam absque merito toleramus: si cum ratione, eadem ratio nos docebit, quiduis nos & à quocumque debere tolerare: aut aliàs, etsi subinde quædam sustineamus, id prouenire potiùs ab amore proprio, quàm ex sincera quadam ratione; quæ si verè nos ad quædam sustinenda induceret, etiam suaderet tolerantiam cæterorum.

Anime mi, non tam à pœnæ, quàm à patiendi argumento redduntur nostræ perpeffiones Deo acceptæ, dignæque merito; & si rectè apprehendas, quale debeat esse patiendi argumentum, inuenies illud æquo iure ad quoduis pœnarum occurrentium genus obligare, neque detrectari vllum posse sine culpa vel imperfectione aliqua.

II. PUNCTVM.

*Aduersio in vitam prateritam,
presentemque.*

Vitia contra hanc veritatem admissa procedunt, vel ab errore, quod nescias debuisse te pati ab omnibus, etiam æqualibus, & inferiore dignitatis loco constitutis; vel à malitia tibi persuadente, quod sufficeret, si modicum quid sustineres, procul habita tanta erga omnes superiores tuos, eorumque præcepta omnia, subiectione; vel à quodam naturæ habitu, molestius quosdam, quam alios ferente: vnde cumque demum proueniant hæc vitia, desle illa, confer impatientias tuas & immoderatos tuos affectus cum ijs virtutibus, quæ in Passione tui Iesu elucent, & luges tua potius, quam illius causa, ex animo dic: Qua fronte, sub spinoso capite Iesu & Seruatore meo, tam sum membrum delicatum!

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

Est, vt æqualiter paratus sis ad omnia, idque vt assequaris, inscribenda est penitus hæc veritas tribus facultatibus animæ, imprimis

primis persuadendo illam nostro intellectui, ut de ea nullo modo dubitet; deinde excitando in nostra voluntate illius amorem & affectum, ita ut non magis illi se, quam alicui fidei articulo, aut præcepto diuino, opponat, quantumuis obnixum & difficultatem experiatur; Denique efficiendo ut Memoria datis occasionibus recòrdetur illius vti Christus sub ipsam Passionem dicebat: *Hæc est hora, hæc occasio, & quemadmodum profitebatur admonens Apostolos suos persecutionum olim tolerandarum, se idcirco facere, ut in occasione meminissent dictorum suorum, eaque recordatione excitarent pia voluntatis suæ desideria, & proposita patiendi, tum, quando illum loquentem audiebant, aut de illo argumento meditabantur, concepta.*

Anime mi, si solum promittis, neque re ipsa quidquam præstas, an non meritò times etiam, ne diuinorum promissorum effectis excidas? Deus enim alia conditione tibi cælum non adpromisit, nisi ut ad labores, tantumque patiaris, quantum eius consequendi gratia necessum est.

VIGESIMA PRIMA VERITAS.

Modum, mensuramque Patiendorum, esse
dispositionem & voluntatem Dei.

*Propter scelus populi mei, percussis
eum. Isaiaë 55.*

Consummatum est. Ioan. 19.

MEDITATIO

in hanc Vigesimalprimam veritatem.

I. PUNCTVM.

Declaratio veritatis.

TAmetsi nulla sint aduersa, quæ non acci-
dant ex prouidentia & voluntate Dei
cuncta disponentis, nihilominus, quia Deus
subinde ad exercendam nostram patientiam
vritur hominibus, & nobis etiam ipsis, subin-
de verò absque ijs, exercet nos atque expe-
ritur per modos alios pro arbitrio suo, &
prouidentia, curaque nostri peculiari; Hinc
ad hanc dispositionem diuinæ voluntatis no-
minatim restringemus id ærumnarum genus,
quæ neque à nobis, neque ab hominibus acci-
dunt; eritque postremum caput istud de tri-
bus, ad quæ posuimus referri debere ærum-
nas omnes ac pœnas.

Ad

(a) M

Ad hunc modum sustinuit in Passione sua & morte Christus pœnas quasdam peculiare à Patre suo submissas, quas neq; ab hominibus neq; à seipso patiebatur, nisi dicere libeat eo nomine passum à se, quòd in natura diuina vnus idemq; cum Patre foret. Equidem referebat ad dispositionem voluntatemq; Dei Patris, quidquid à dæmonibus atque hominibus inferebatur, quasdam tamen experiebatur pœnas, quas non aliunde, quàm à Patre sibi sentiebat prouenire, vti hanc derelictionem, quâ destitutus omni sensu solatij, exclamare cogebatur? (a) *Deus meus, Deus meus, vti quid dereliquisti me?* illam extremam sitim, cuius dolorem testari voluit; illum languorem, & trium horarum cum vita morteque colluctationem; illam rebellionem prorsus omnium Iudæorum aduersus se, illorum Messiam, dominumq; illam tot animarum iacturam, quæ præ vulneribus omnibus, acerbis illum afflictabat; & alios similes animi, corporisque dolores, in quibus nominatim spectabat, reuebatur, atque explebat dispositiones voluntatesque sui Patris, vt eodem pacto doceret nos illas intueri, acceptare, atque ad earum nutum nos componere.

Et quia facilius tueri nos possumus aduersus cætera pœnarum genera, quàm aduersus hæc, quandoquidem auerti vel mitigari saltem possint interiora mala, resisti queat homi-

(a) *Matth. 27.*

hominibus, qui nos persequuntur, integrum fit, eorum præsentia ditionique sese subducere; at ærumnis à Deo immissis eximere nos ea ratione nequeamus, cum ita nequeat illi obsisti, quin affligere si velit, sentiamus effecta supremæ illius potestatis, quâ pollet in nos: hinc fit ut in simili malorum, afflictionumque genere, unde emergere non licet, facilius abripi nos sinamus in querimonias, & obmurmurationes, quasi plus æquo pateremur, habita præsertim ratione personarum aliarum, quas videmus commodis, honoribus, rebusque secundis ex voto abundare: Id enim verò nos afficit, accenditque tam felicitis fortunæ aut invidiam aut cupiditatem, cuius comparatione sortem nostram, ut miseriam, detestamur.

Verùm audiamus Vigesimal primam veritatem hinc nobis propositam, planè enim aduersus hasce querimonias & animi ægritudines est, quod inculcat: Mensuram scilicet patiendorum esse dispositionem voluntatemque diuinam, (a) Illius esse, pro arbitrio de vnoquoque nostrum statuere, ad nos verò spectare, ut illius statutis omnibus æquo animo subijciamur. Quod etsi possit intelligi, atque applicari omnibus omnino ærumnis, quas patimur, quia tamen, uti mox dicebamus, peculiarius attendimus Deum in hisce, qua-

(a) Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.
1. Reg. 3.

rum vnicum in patientia remedium est, idcirco etiam peculiarius hinc considerandæ sunt ipsius dispositiones, & harum consideratione nos animare ad patiendum æquo alacrique animo debemus.

Exemplum Christi patientis atque exspirantis in Cruce, plurimum adfert luminis iuxta, ac roboris ad comprehendendam, amandamque eam veritatem: (a) hic enim videre est, quam perfecte is omnes dispositiones decretaque sui Patris expleuerit; hinc apparet, modum mensuramque poenarum nostrarum, esse dispositionem ac voluntatem diuinam, eamque exhauriendam esse, quandoquidem Iesus non alio, quam huius voluntatis intuitu patiebatur, & hæc voluntas tam cumulatè & quasi sine modo mensuraque ad mensurauerat illi omnes suas perpeffiones, vt postquam illum considerauerimus, æquum esse videatur, vt credamus quascumque nobis incumbentes ærumnas, esse leuiiores, quam vt querimoniam à nobis extorqueant.

In ipso primo suo conceptu, & vitæ exordio, contemplans Patris sui consilia ac decreta, illicò ea acceptauit, exclamansque cum Propheta, ita est, inquit, *Deus meus volo, ecce venio, vt faciam voluntatem tuam*, (b) & expleam, quidquid scriptum est de me. Deinde nascens

(a) *Et quidem filius hominis, secundum quod definitum est, vadit. Luc. 22.* (b) *Pf. 39.*

nascens & postea conuersans inter homines, non spectabat aliud, quam diuinam hanc voluntatem, neque aliam dictorum factorumque suorum reddebat rationem, (a) quam quod ita lubitum esset Deo Patri à quo, (b) veit scripto adnumerata, commensurataque habebat vniuersa, quæ sibi in hominum congressibus dicenda erant, ac agenda.

Verùm in Passione & morte sua longè euidentius demonstrauit, qua ueneratione complecteretur decreta, statutaque aduersus se lata, dum ea tam enucleatè voluit obseruare, vt prius morti cedere noluerit, quam cuncta plenissimè exequeretur, ne littera quidem vlla prætermissa; expletis verò omnibus, illicò felicem exhalauit animam, quasi iam nihil ampliùs inter mortales agendum patiendumve superesset illi, cui Pater plura non præscriperat. (c) *Vt cognascat mundus, qui diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio,* aiebat discipulis suis, *surgite, eamus hinc, vrbe excedamus, eamus in hortum oliuarum, in montem Caluariæ, in Crucem, in mortem.* Neque alio in statuto permisit grauem illam luctam appetitum inter & rationem, quam, vt quò maiorem experiretur auersionem naturæ à rebus tolerandis, eò clariùs reificaretur, quanti faceret decreta Patris sui, cum eorum reuerentia omnem illam auersionem superaret. *Quid ?* aiebat hac etiam de

(a) Matt. 11. (b) Ioan. 12. (c) Ioan. 14.

causa, (a) *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Imò verò, (b) *quidquid scriptum est de me, oportet impleri.*

Denique vt huius rei certissimum posteris testimonium relinqueretur, accipe suprema, quæ protulit, verba: *Consummatum est, nihil superest, ô Pater, nisi vt animam tibi reddam.* O verba! ô vitam! ô mortem Christi Iesu! omnia consummata sunt! quid hoc? Prophe- tix omnes, omnes figuræ, scripturæque per- actæ sunt, omnia Patris mei statuta sunt ex- pleta, omnes perpeffiones, quas mihi præ- scripserat, sunt toleratæ. Omnia consummata sunt. Nulli rei peperci, non commodis, non honori, non sanguini, non corpori, non vitæ, omnia consummata sunt, nullus reliquus est in venis cruor, nullum in ossibus robur, nulla in arterijs motio, nullus in pulmone spiri- tus, nulla in corde superest vita; Omnia consummata consumptæque sunt, vt ea ra- tione consummarem expleremque omnes mei Patris voluntates, quæ non alio modo mensuræque definierunt perpeffiones meas, quam vt ijs penitus consumerer, atque incul- carem hominibus veritatem hanc, Quod mo- dus & mensura patiendorum sit dispositio & voluntas Dei, & nulli rei parcendum sit, vt hæc voluntas expleatur. Qualis Magister? qualis lectio? qualis cathedra docentis! qua- lia verba, consummatum est!

Q

(a) *Ioan. 18.* (b) *Luc. 22.*

Pote-

Poterátne dici aut fieri potentius aliquid ad animos nostros in fide & vsu huius veritatis obfirmandos? Et profectò, ad eam docendam, tali opus erat Magistro, natura enim nostra miris fluctibus agitatur, dum videt tam disparem esse hominum fortunam, alios cum Lazaro vix animam trahere, (a) alios cum diuite Epulone frui voris omnibus: &, si quibusdam prospera aduersaque permixta sunt, id fieri sorte tam dispari, vt inter mortales omnia mœrore, iracundia, inuidia, tædio, oblocutione, mutuisque querimonijs compleantur, quasi ærumnarum, aduersorumque distributio facta non esset ex æquo & bono.

Sed taceamus, discamusque hæc omnia à Dei dispositione prouenire, suam cuique definitam esse mensuram pro gradu gratiæ, & gloriæ, (b) quem cuique Deus destinauit, & ad quem obtinendum per rerum aduersarum tolerantiam vnumquemque promouet; idem esse hic, quod in ædificio, vbi plus operæ & sectionis vni, quam alteri saxo adhibetur, iuxta mentem consiliumque architecti; & sicut inter cælites non est alia ratio, cur alter alterum gloriæ præstantiâ excedat, quam quod ita visum sit diuinæ voluntati, sic inter mortales, cur alter altero plus patiatur, rationem esse petendam ab eodem Dei arbitrio,

(a) Vide Iob 21. (b) Hunc humiliat, & hunc exaltat. Ps. 74.

trio, præscribente cuique mensuram suam; quâ ad præparatum sibi gloriæ gradum nitatur; nullam esse querelarum causam, si alij plus alijs, minusve exerceantur; sufficere, si quisque, quod incumbit, sustineat, suamque exhauriat mensuram, quæ sanè exhaurienda est, & quid nos attinet, quantum sustineant alij, ut eorum causâ conqueramur? Id nostrum est, tantum pati, quantum proposita mensura nobis exhibet, (a) quæ idcirco Calix Domini nuncupatur, quod, sicut mos erat Iudæis, ut inter illos senior aut conuiuij arbiter singulis exhauriendam portionem distribueret: ita Deus nobis in hac vita constitutis, præscribat viuendi modum, & mensuram eorum, quæ tolerare necesse est. Ne metue, si minus quàm Christus, quàm alij sanctimoniâ præstantes viri, patiaris: tanta siquidem non exiguntur à te, non est illa mensura tua, neque modus conditioni tuæ præscriptus, vnde, quæ tibi Deus patienda submittit, hæc Crux tua est, hic Calix tuus & mensura, tam necessariò exhaurienda, quàm arctè obstrictus es, ad explendam Dei voluntatem, quæ expleri sine patientia, & perpeffione rerum omnium ab illo submissarum, non potest. O quàm æquum est, exclamabat (b) Antiochus, mortalem subditum esse Deo, eiusque dispositionibus. Anime mi, vox illa impij capitis est, sed

Q2

voluit

(a) Ps. 15. & Matth. 10. (b) 2. Mach. 9.

voluit Deus hanc veritatem ab omnium hominum sceleratissimo testatam, ut qui eo meliores essent, sine vlllo dubio illi assentirentur, aut si pergerent adhuc hærere dubij, scient se hoc impio sceleratiores.

II. PUNCTVM.

Aduersio in vitam præteritam, statumque præsentem.

VT melius perspecta habeas vitia, quæ tibi aduersus hanc veritatem acciderunt, perfectiusque intelligas, quo nunc in statu verferis, ad remedium adhibendum. Obserua ærumnas, quæ à Deo peculiariter immittuntur, ad tres species reuocari posse, quarum prima est defectuum à natura prouenientium in forma corporis, in ingenio, & indole nostra; ex quibus existunt Cruces acerbæ & toleratu difficiles per omnem vitam, quando nimirum deformis est membrorum constitutio, & infirma; quando ingenium debile, nec rerum capax, & indoles morosa, obnitensque rationi, virtuti, & medijs ad salutem consequendam opportunis: vnde fit vt maiori sit opus afflictatione corporis, & prauorum affectuum frænatione difficili, quo debitum officium præstemus. Quomodo hic te gessisti?

Altera species est, inopia rerum externarum,

rum, (a) vt generis, opum, commodorumque illorum, quæ fortunæ dicuntur, quæ vbi exigua sunt, facile videmus quantam patiendi segetem producant, & quæ vitia soleant progerminare, tu tua agnosce & deplora.

Tertia est à casibus qui plerumque viuentibus accidunt, quando scilicet destituimur optatis, aut habere cogimur illa, quæ maximè auersamur; quando nihil succedit ex animi sententia, sed vt minimè in votis est: Hæc omnia à Deo procedunt, & in ijs toties delinquimus, quoties non conformamus nos huic diuinæ prouidentiae talia statuenti: cuius iudicia emicant in affectibus nostris contrarijs, in verbis, in gestu, alijsque, quæ hinc pendent, vitijs.

O Quoties hinc deliquisti? hoc nunc cogita, & ærumnas omnes præteritas, venturasque Deo offer in satisfactionem vitiorum, à te, dum eas non eo quo par erat, animo, tulisti, commissorum. O Deus quid sunt ærumnæ meæ ad tanta peccata quæ patraui! Anime mi, si illæ ærumnis tui Seruatoris vniantur, & nunc velis eas acceptare, quemadmodum ille suas amplexus est promptissimo semper affectu, sufficiens erit illarum pretium, quandoquidem ijs Deus sit acquieturus.

Q 3

III. PVN.

(a) Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius; Pauperum, egestas eorum, Prou. 10.

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

Propositum hęc capiendum præcipue consistit, in perfecta abdicatione voluntatis nostræ, ad exemplum Christi ita conformando illam cum diuina voluntate, in peccatis omnibus, & afflictationibus, vt earum, quæ sunt arbitrij nostri & liberæ electionis, (a) non plures assumamus, quàm intelligemus Deum à nobis desiderare, neque etiam recusemus illas, quæ sunt ad promouendam perfectionem nostram idoneæ; vt in illis, quæ sunt extra potestatem nostram, vt pote coniunctæ cum nostro naturæ habitu, cum nostra conditione, cum casibus occurrentibus cum obligatione muneris nostri, & cum exercitio virtutum à nobis obeundarum, ita comparati animo simus, vt non alia feramus quàm Dei voluntate: Tam simus ægri, tam pauperes, tam contempti, tam quæ inuisi omnibus; quàm ille voluerit: licet enim prospero optatissimoque rerum omnium successu fruermur, in illo tamen nihil deberemus spectare aliud, neque diligere, nisi soiam Dei dispositionem atque voluntatem, quæ dispositio cum etiam in rebus aduersis reperitur, æquè

(a) Quoniam ego in flagella paratus sum.
Psalm. 37.

æquè hîc, aut etiam magis amanda est, nos enim Christo Iesu reddit similiores. Quòd si subinde adhibemus media ex pœnis illis euadendi, (a) fiat id eo solùm nomine, quod fieri ipse patiatur, imò quod etiam præcipiat, nobis enim licitum non est, vt cùm media vitæ conseruandæ suppetunt emori nos sinamus, quia nostri iuris non sumus; vita nostra Dei est, quam ille nobis eo pacto contulit, vt quamdiu vult, eam conseruemus, & cùm voluerit, eandem illi restituamus.

Atque hæc, & quidem maximè, (b) intelligenda sunt de molestijs, quæ subiri debent, ratione mortificationis continuæ, cui deinceps incumbendum est, vt appetitu semper rationi, & naturâ gratiæ, subiectis, Deo seruiamus in illo gradu perfectionis, ad quem nos vult promotos, adeoque nunquam, pœnæ vel molestiæ subeundæ metu, omittamus rectè agere, neque quidquam mali committamus: absit; quantumcumque prauo sis naturæ affectu, ne vnquam abripi te sinas eius violentiâ, sed potiùs hoc tibi statuendum est, vt eum coërceas, neque tibi parcas magis, quam sibi Christus pepercerit, dum se, exempli tibi præbendi gratiâ, penitus consumpsit.

Q 4

(a) *Fili in tua infirmitate, ne despicias te ipsum.*
Eccl. 38.

(b) *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. Cor. 4.

sumpsit. *Qui Christi sunt*, inquit Paulus, (a) *car-*
nem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs
 hoc est, non magis illi indulgent motus ali-
 quos inordinatos, quàm is, qui Cruci affixus
 est, mouere se queat. Visne esse Iesu Christi
 hoc indicio testificare.

In quacumque positione mentis sum, ait
 bat Philosophus, cum lego Sextium, (b) *liber*
 omnes casus prouocare, liber exclamat
 quid cessas fortuna? congregere. Ah anima
 mi, quidni idem tu dicis, dum vides in Cruce
 Iesum tuum exspirantem, dum audis extre-
 ma illa morientis verba: *Consummatum est*
 nonne maior tibi causa est discendi hanc
 actionem ex libro vitæ, in quo scriptum est
 sanguineis litteris agni immaculati, Quo
 mensura patiendorum sit dispositio & volun-
 tas diuina?

(a) *Galat. 5.* (b) *Seneca.*

COMPENDIUM MEDITATIONIS in vigesimam primam veritatem

I. P V N C T V M.

Declaratio eiusdem.

OMnes ærumnæ, toleratu necessariae, pro-
 cedunt à dispositione voluntateque di-
 uina, cum aliàs necessariae non sint, nisi quæ
 inde procedant: sunt tamen quædam, quæ
 tam proximè referuntur ad hanc diuinam
 dispo-

dispositionem, vt nulla sit causa propior, quæ nobis illas aut hominibus attribuat: atque de hoc pœnarum genere intelligi debet propofita veritas, dum ait: Mensuram patientiorum esse voluntatem dispositionemque diuinam. Si, exempli gratiâ, deftituti sumus dotibus naturæ, fortunæ, gratiarumque, vt vocant, gratuitarum: si consilia conatusque nostri careant successibus, si ab ingenio, à valetudine, natalibus, hominum fauore, alijsque commodis, quæ natura solet expectere, nudi sumus: si videamus nos contemptos, oppressosque alijs in honore, ac prospera fortuna constitutis: hisce sanè, similibusve grauitè cruciamur, & quia horum auctorem alium nescimus quàm Deum, obtrectamus illius prouidentia, inuidemus alijs, tædet nos vitæ tam miseræ, eiusque finiendæ desiderio languemus, & si fas esset, Deum ipsum compellarem, cur præ alijs tanta cogamur sustinere; sed heus, dispositio illius ita statuit, illius voluntas tolerantias nostras admensurat, cruces effingit, & calicem nostrum bonis propinat exhauriendum.

Mirificè id patet in Passione & morte Christi Seruatoris, ærumnæ illius omnes quidem à Deo Patre proueniebant, eoque nomine illas ipse complectabatur, erant tamen nonnullæ; quas peculiari quodam modo referebat ad ipsius dispositionem voluntatemque;

Qs

VI

vti grauis illa derelictio quando destitutus
 omni solatio sensibili exclamauit: *Deus meus,*
vt quid dereliquisti me? Ille languor & trium
 horarum lucta vitam inter & mortem, quam
 in Cruce subiit, illa tot animarum iactura,
 ipsis suis vulneribus acerbior: In eiusmodi
 pœnis spectabat ille, & reuerabatur peculia-
 rius dīspōsitiones & decreta Patris sui. Hinc
 ituriens ad Passionem suam, venit aiebat,
Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam,
sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sic
mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus,
paciamur, moriamur.

Hac de causa fatebatur se aggredi Passio-
 nem suam, & reuera hæc erat norma & men-
 sura rerum ab illo tolerandarum, quod ita
 Pater statuisset; erat is Calix quem haurien-
 dum dederat, erat id eius decretum, & man-
 datum, quod explere tam accuratè voluit, vt
 noluerit prius priuari vitâ, quam verè posset
 dicere omnia expleta, omnia esse cōsumma-
 ta, scripturæ totius vaticinia, omnia Dei de-
 creta, omnes perpeffiones nihil superesse, nisi
 vt moreretur, non sanguinē, non vires, non vi-
 tam, omnia esse consumpta, consummataque.

O qualia verba? qualis vita? qualis mors?
 quale exemplum? qualis comprobatio nostræ
 veritatis? Quid, obsecro, respōdere poterimus,
 si moneamur, tantum ferendum esse, quan-
 tum Deus voluerit, quandoquidem fuerit
 necesse, vt hac iret Dei Filius, neque
 exti-

extiterit alia tantorum cruciatuum tolera-
torum ratio, quàm quòd ea foret dispositio
sui Patris, & voluntas.

Reapse, vti satis exploratum est, vatios di-
stinctosque esse gloriæ gradus in cælo, &
hanc varietatem non aliunde, quàm à diuina
dispositione prouenire; ita quoque sciendum
est, vt eò pertingatur, eum statuisse in Terris
cuique rerum patiendarum mensuram, prout
quemque statuit in cælis collocare: quo pa-
cto ædificij architectus alios atque alios ali-
ter lecat ac elaborat lapides, pro artis suæ ac
fabricæ instituto. Mittamus igitur, anime
mi, ineptas illas curas, cur hic, cur ille labo-
rent inopiâ, & cur nos, quàm cæteri, gra-
uiora patiamur, cum Deus ista sic disponat:
& cogitemus potiùs de explendis accuratè
ad mortem vsque, omnibus, quæ disponit,
quàm, cur ita disponat, inconsultè per-
uestigemus.

II. P V N C T V M.

*Aduersio ad vitam præteritam,
præsentemque.*

VT rectè cognoscas vitia, quæ aduersus
hanc veritatem potes commisisse, & qui-
bus obnoxius es, digere ærumnas omnes, quæ
tibi peculiariter à diuina dispositione, pro-
videntiæque submituntur, in tres spe-
cies.

Q6

cies. Prima est defectuum qui nobis adnoscuntur à natura, in corpore, in ingenio, in indole.

Secunda, inopiæ bonorum externorum, quæ fortunæ appellantur.

Tertia, variorum casuum difficilium, qui viventibus accidunt; Nunquid ex hisce natura corrupta captat occasionem succensendi, se angendi, quiritandi, & ne multa, auocandi mentem hominis ab illa conformatione, quam deceret illum habere cum Deo suo? Circa quæ agnoscere nunc debes, quomodo offendas, quàm immeritò & perperam in tuis afflictationibus de Deo conqueraris, ingratoque feras animo, quod ad insignem sanctimoniam euehere te velit, præbens patiendi argumenta, quibus illam obtineas.

III. PUNCTVM.

Propositum in futurum.

Est, ut nos penitens committamus dispositioni diuinæ prouidentiae, circa molestias omnes, quæ nobis in posterum sustinendæ sunt, ita ut nolimus ijs vlla ratione repugnare. Possunt etiam hæc distingui in tria genera, primò in illas, quæ spontaneæ sunt & ex religione suscipiuntur, quas ita moderabimur ex prudentia, ut nec nimij simus, neque tamen

tamen illas etiam, quas suadet studium promouendæ perfectionis, negligamus.

Secundò, in necessarias quas Deus immit-
tit, quasque declinare non licet: in his oportet
necessitatem in virtutem conuertere, easque
eadem animi promptitudine sustinere, quã
ferimus spontaneas corporis afflictationes.

Tertij generis sunt primam necessariæ,
partim voluntariæ, complectuntur enim con-
tinuam illam molestiam, quæ subeunda est,
ne ex deprauatæ naturæ legibus vita exigatur;
quod hinc voluntarium est, cum nihil
peracturus sis, nisi serio velis, sed illinc neces-
sarium quoque ad virtutes exercitandas, ex-
plendamque in tuo statu diuinam volunta-
tem. Nam quocumque in statu viuas, si vis
esse Iesu Christi, debes, vt Apostolus loquitur,
crucifigere carnem tuam cum vitijs &
concupiscentijs suis, & sustinere dolorem qui
ab hac Crucifixione existit: & vt hoc decre-
tum serio concipias, solum opus est conijcere
oculos in Iesum de Cruce pendentem, teque
percontari, num ille dignus non sit, cuius
gratiã talem molestiam patiaris? Responde,
sed factis potius quàm verbis,

CON-

CONSIDERATIO.

in hunc septimum Diem.

*De concionibus & exhortationibus,
deque spirituali lectione, & collo-
quio.*

1. **P**Ræmissa oratione solita ; considera-
quàm utile sit audire verbum Dei , &
quantum damnum nullam ex eo referre vi-
litate.
2. Oporteret equidem semper deligere op-
timos concionatores, & libros : sed nullus est
concinator aut pius libellus , ex quo si li-
buisset , non potuisses aliquem haurire fru-
ctum.
3. Curiositas & negligentia duo magni
sunt obices fructus, ex diuini verbi auditione
capiendi.
4. Attendi non deberet, à quo , neque quâ
ratione diuinum hoc verbum nobis insinue-
tur, cum satis sit, verbum esse diuinum.
5. Aptissima est , hanc in rem , similitudo
speculi, quod non alio fine intuemur , quàm
ad notandâs tollendasque è vultu maculas:
ad eum modum simul atque verbum Dei ex-
cipitur, oportet illud in nostros vsus conuer-
tere ; & notare quantum mores nostri à pro-
lata veritate vel dissentiant , vel cum eadem
conueniant.
6. Quia non est ea virtus concionantis, ne-
que

que libelli, neque eorum, quæ proferuntur, argumentorum, ut mentem religione percellant, sed folius Dei hæc media usurpantis: idcirco petenda semper est ab illo gratia, ut eum fructum referamus quem statuit nobis elargiri.

7. Oportet etiam precatione sua completi eum qui verba facit, & illos, qui facienti auscultant, cum ingenti desiderio ut omnibus diuinis consilijs decretisque satisfiat, sublato omni dæmonis & mundi obstaculo. Quod si tu ipse concionator es aut superior, hoc monitum tuo muneri accommoda, & diligentius incumbere huic officio rectè peragendo, quod & ad salutem & perfectionem animarum procurandam grauiissimum est, & plerumque tractatur admodum perfunctorie.

8. Peracta concione aut exhortatione quid agis? refersne Deo grates omnium, quæ tibi significauit? petisne veniam erratorum, quorum tibi notitiam aperuere productæ veritates? Nonne apud animum tuum dicis: quem ex hoc sermone fructum referam? aut satis putas te audijisse, & tuam de concionatore liberè apud alios, ferre sententiam?

9. Estne constitutus tibi liber aliquis pius, quem quotidie & statâ horâ certò perlegas?

10. Quo emolumento id facis? quæ tibi obstant impedimenta, & quibus mediis occurris?

11. Me:

onibus,
collo-
n sidera,
Dei, &
erre vi-
gere op-
ullus est
ao si li-
ire fru-
magni
ditione
ue quâ
sinue-
ilitudo
quâm
aculas:
Dei ex-
onuer-
à pro-
eadem
is, ne-
que

11. Meministine sæpius aurei libelli de Christi imitatione ? nunquam excidere deberet , aliquandò à capite ad calcem illum euoluendo, aliàs fortuito illum aperiendo.

12. Quod ad sacras litteras attinet, pendet à conditione tua ; cæteri verò pii libelli potius assumantur ex arbitrio superioris aut præfecti rebus spiritualibus , quàm delectu nostro, qui facilè ab amore proprio , nisi attenditur, vitiatur.

13. Agnosce discrimen inter lectionem quæ studij, & alteram, quæ spiritus gratiâ fit, & vide num istud accuratè obserues.

14. Lectio meditationis instituendæ vicem obire potest piæ lectionis, modo repertas veritates sibi quis nouerit applicare.

15. Nemòne tibi est, quocum liberè sermonem conferas de rebus pijs & diuinis : siue id fiat honestæ consuetudinis gratia , & vt generatim talia differantur , siue vt ea ediscas, quæ priuato tuo commodo sint ? & quomodo in ijs te geris?

16. Ad audiendum semper sis promptior, quàm ad loquendum, nisi cum persona verseris, quæ instructione, correctioneq; indigeat, tunc enim proderet zelum suum , neque erubescere pro veritate & virtute loqui.

17. Nunquam in id incubuisti , vt scires ingeniosè auertere sermonem inutilem & inde sumere ansam moralis alicuius documentum?

ti? Nunquámne in eam rem à Deo gratiam postulasti? aduerte sis animum.

18. Estne tibi moderator aliquis, & quâ fide candoreque animi, tua cum illo communicas?

19. Tenésne sinceram agendi rationem, quasi tibi cum solo Deo negotium foret? an potiùs subinde simulatione te tuaque inuolvis, vtens quodam genere astutiarum & calliditate naturæ, quam tu censes esse prudentiam, cum mera dementia sit coram Deo eius æquè certo vindice, quàm est candoris & ingenuitatis verus amator.

20. Præuerte ipsius iustitiam: erubefce tuas simulationes, earum pete veniam, & gratiam ex illis emergendi.

L E C T I O.

Ex sacro codice: caput quinquagesimum tertium Isaïæ. Loca quædam Euangeliorum, in quibus agitur de Christi Passione, & caput secundum & tertium Epistolæ ad Philippenses.

Ex libello exercitiorum: Regulæ vtilis ad pleniorum spirituum discretionem, & de distribuendis Eleemosinis.

Ex Thoma Kempensi: Caput duodecimum libri secundi, & quinquagesimum sextum tertij.

OCTA-